

quenti Caussarum scrutiniò. *Accidentia* sunt *Febris* ex humorum ebullitione orta, putris, maligna, Synochos, quæ tamen ob admistionem aliorum humorum interdum accedit ad typos. Pruritus ex humorum salsedine. *Suppuratio* tandem, quæ peculiariter discriminat Variolas à Morbillis, quos insensibiliter discuti asseruimus.

II. CAUSSÆ.

9. Cum Morbi hi sint ad miraculum ferè universales, præter quos exemplar simile in toto Campo Pathologico non reperitur, universalem quoq; eorundem Causam esse indagandam tam indubium est; quàm arduum, ob distantissimas Autorum sententias aliquid statuere.

10. Duæ autem potissimum Morborum Communium Communes Causæ ponuntur, *Aer* & *Victus*. His enim ut omnes ex necessitate inevitabili fruimur, ita prout sese habent afficimur. Et in his quoq; Scriptores omnes, qui Morborum propositorum causas venati sunt, consentire compemur.

11. In *Victum* conspirarunt primum *Arabes*, illum præprimis quo in utero adhuc hærentes nutrimur. (Liceat enim cum Sene nostro non solum τὸ μέλλον ex Diætetica, sed & τὸ οἶον, Sanguinem, appellare τροφή.) Nec excluderunt fortassis illum quo post ortum alimur, quod Testimoniis ex *Avicenna* & *Avenzoare* adductis demonstrat *CL. Conringius l.c.*

l. de Alim.

t. 8.

12. Recesserunt ab his Recentiorum quidam qui exploso Sanguinis Menstrui vitio alteram Morb. universalium Causam produxerunt *Aerem*. Et hi iterum in bivium discesserunt. Alii enim, quorum caput *Fernelius*, alterationem Aeris petunt ab *oculto* quodam influxu: Alij potius qualitates accusant duntaxat *manifestas*, & *Austrinam* potissimum, h. e. *Calidam* & *humidam* aeris Constitutionem.

13. Supervenit tandem *Mercurialis* qui & ipse ab Aeris vitio quodam universali derivat primum Variolarum Ortum, sed transplantationem hodiè putat esse *hereditariam*.

14. At quorsum jam in hoc quasi Trivio? Ubiq; certè trias metuimus præsentas, perumpendum tamen, sed cum ratione. Et cum opinionem illam omnino præligendam esse constet,

constet,